Diaconorum, Subdiaconorum, Can. ſi quiſpiam, diſtinct. 81.

III. ALEXANDER III. Saler. [5] Archiepiſcopo. p. c. cum tu. [6] [c. an. 1180. *Româ in Campaniam.*]

Non debet Prælatus Clericum cogere ad concubinam abjurandam; ſed eam nolentem dimittere, poteſt excommunicare.

[u] Cap. 4. eod. tit. in 1. Compil. & poſt Conc. Later. ſub Alex. III. part. 18. c. 1.

CLericos in ſacris Ordinibus [u] conſtitutos, qui publicè tenent concubinas, ad eas abjurandas nolumus à tua fraternitate compelli, ne in eandem fornicationem inſtinctu diabolicæ fraudis redeuntes, perjurii reatum incurrant. Verùm ipſos per ſuſpenſionis & interdicti ſententiam debes arctiùs cogere, ut mulieres ipſas à ſe ita removeant, quòd de illis ſiniſtra ſuſpicio non poſſit haberi. Et ſi qui eorum ad ipſas redire, vel alias accipere fortè præſumpſerint, in aliquos eorum debes perpetuam excommunicationis ſententiam proferre, ut alii eorum [x] exemplo perterriti, à ſimilibus arceantur.

[x] In C. Barb. ut alii exemplo illorum à ſimilibus, &c.

¶ PITH. [5] *Saler.*] *Salonitano.*
[6] *Cum tu.*] *Cunctos.* Vide Chronic. Caſſin. *lib.* 4. *cap.* 118.

IV. IDEM Cantuarien. Archiepiſc. & ejus Suffraganeis. [c. an. 1180. *Româ in Angliam.*]

Si Clerici moniti concubinas non dimittunt, ſuſpenduntur à beneficiis; & ſi ſe non corrigunt, deponuntur.

[y] Cap. 5. eod. tit. in 1. Compil. & poſt Conc. Later. par. 18. c. 2.

SIcut [y] ad extirpanda [7]: [*Et infrà α.*] Frat. v. mandamus, quatenus Clericos veſtræ juriſdictionis, qui in Subdiaconatu, & ſuprà, fornicarias [8] habuerint, ſtudioſè monere curetis, ut à ſe illas removeant, eas ulteriùs minimè admiſſuri. Si verò acquieſcere contempſerint, eos ab Eccleſiaſticis beneficiis, uſque ad ſatisfactionem congruam, ſuſpendatis. Et ſi eas ſuſpenſi præſumpſerint detinere, ipſos ab eiſdem beneficiis perpetuò removere curetis.

[*α Vitia quæ periculum pariunt animarum ſummoperè decet intendere; ita etiam nos convenit germina propagare virtutum, ex quibus, fidelibus ſalutis augmentum & ſacris Eccleſiis decor proveniat honeſtatis. Unde cùm in Anglia pravâ & deteſtabili conſuetudine, & longo tempore ſit obtentum, ut Clerici fornicarias in ſuis domibus habeant, nos volentes tam grave ſcandalum de populo removere, & prædictos Clericos ad honeſtatem Eccleſiaſticam reducere.*]

¶ PITH. [7] *Sicut, &c.*] Vide Synod. ſub Anſelmo. Baleum 164. 165. 169. 184. Matth. Pariſ. 25. 95. Catalog. 367.
[8] *Fornicarias.*] *Focarias.*

V. IDEM Eboracen. [9] Archiepiſcopo. [c. an. 1180. *Româ in Angliam.*]

Literæ à Clerico concubinario ſuſpenſo ſuper abſolutione, tacita facti ſerie, obtentæ non valent.

[z] Cap. 8. eod. tit. in 1. Compil. & poſt Conc. Later. p. 18. c. 9.

SUper eo verò [z], quòd aſſeris A. Presbyterum fornicariam [10] detinentem, propter hoc ab officio ſuo ſuſpenſum: [*Et infrà α.*] Porrò ſi literas à nobis obtinuerit, quæ facti ſeriem non contineant, nolumus illas ſibi prodeſſe.

[*α Prud. t. t. r. quòd ſi ſuper hoc appellatum ſit ad præſentiam noſtram, ſi contingat ipſum ad nos accedere, prout expedire videbimus, pertinaciam ejus & audaciam corrigemus. Si verò non venerit ad præſentiam noſtram, ſuſpenſionis in eum ſententiam propter hoc latam tamdiu volumus obſervari donec fornicariam ſuam à ſe prorsùs abjiciat, & vivat ſicut decet Presbyterum continentem.*]

¶ PITH. [9] *Eboracen.*] *Bridiceno.*
[10] *Fornicariam.*] *Focariam.* Vide Hiſtor. Cantuar. Eccleſ. *pag.* 105.

[a] al. Lauden. al. Lundon.

VI. IDEM Londonen. Epiſcopo [a]. [c. an. 1180. *Româ in Angliam.*]

Si Clerici moniti non dimittunt concubinas, ſuſpenduntur à beneficiis; & ſi ſe non corrigunt, deponuntur.

[b] Cap. 7. eod. tit. in 1. Compil. & poſt Conc. Later. p. 18. c. 8.
[c] In C. Barb. tibi ab Eccleſiis ſuis, &c.

SI autem [b] Clerici tuæ juriſdictionis, ſive in ſacris Ordinibus, ſive in inferioribus conſtituti, fornicarias [11] detinent; niſi eas ad ſecundam vel tertiam commonitionem à ſe dimiſerint, eaſdem de cetero contempturi, liceat tibi [c] eos Eccleſiis, vel earum portionibus, appel. poſtpoſita, ſpoliare, officio ipſis nihilominus interdicto.

¶ PITH. [11] *Fornicarias.*] *Focarias.*

[d] al. Urbanus III.

VII. LUCIUS III [d]. Ex Concilio Maguntino [12]. [c. an. 1181. *in Germania.*]

A Clerico fornicario, quandiu toleratur, nec habet operis evidentiam, licitè audiuntur divina, & percipiuntur Eccleſiaſtica Sacramenta. à notorio verò abſtinendum eſt, non quia in Sacramento ſit defectus, ſed ad ipſorum fornicatorum emendationem. Hoc dicit inhærendo verbis literæ.

[e] Cap. un. eod. tit. in 11. Compil & poſt Conc. Lat. ſub Alex. III. p. 50. c. 38.
[f] In Cod. Barbat. qual. ſacerdos ſit, quæ ſacra ſunt, &c.

VEſtra duxit devotio [e] inquirendum: [*Et infrà α.*] Alicubi dicitur: Nullus audiat Miſſam Sacerdotis, quem ſcit indubitanter concubinam habere. Alibi verò legitur: Non poteſt aliquis, quantumcumque pollutus fuerit, divina polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum cogitationum exiſtunt. Qualiſcunque [f] enim Sacerdos ſit, quæ ſunt ſancta coinquinari non poſſunt. Sumite ergo ab omni Sacerdote Chriſti myſteria; quia omnia in Chriſti fide purgantur. Ceterùm, aliud eſt crimen notorium, aliud occultum: notorium definitur, de quo Presbyter canonicè condemnatur: occultum, quod ab Eccleſia toleratur. Ceterùm, aliud eſt, quando crimen notorium non dimittat Presbyter, vel de ipſo eſt canonicè condemnatus. Aliud eſt penè occultum, quod ab Eccleſia toleratur. Item aliud eſt à talium officiis abſtinere, ut peccandi licentia ceteris auferatur, & hujuſmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur: atque aliud ſi tanquam in fornicatione jacentium, talia myſteria [g] reſpuantur. Sine dubitatione itaque tenendis [h], quòd à Clericis & Presbyteris, quamquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licitè divina myſteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Eccleſiaſtica.

[g] miniſteria.
[h] retineatis.

[*α Ut conſulamus fratribus noſtris Parochiales Eccleſias adeuntibus, quarum Clerici concubinas habere credantur. De hoc videntur diverſæ ſacrorum Canonum ſententiæ emanaſſe.*]

¶ PITH. [12] *Ex Concilio Maguntino.*] Magiſtro & Fratribus militiæ ſancti Jacobi. Concilii meminit Maguntini Aventinus *lib.* 6. Sed convenerat Imperator, non Epiſcopi. Vigner. *tom.* 2. 175. Matth. Pariſ. 11. Nauclerus 863. *Catalog. teſt. verit.* 367. Baleus 203. ex Anſelmo.

VIII. INNOCENTIUS III. Exon. Epiſcopo [13]. [c. an. 1208. *Româ in Angliam.*]

Si fornicatio Clerici eſt ita publica, quòd tranſit in notorium, nec accuſator, nec teſtis neceſſarius eſt; ſed ſi eſt publica per ſolam famam, non ſufficiunt ad condemnationem ſola teſtimonia, ità eſt tenenda dicta non juratorum: ſed ſi ex hoc oriatur ſcandalum, inducitur purgatio, in qua deficiens canonicè punitur.

[i] Cap. 1. eod. tit. in 1. Compil. Vide Anton. Gomezium. tom. 3. Var. reſol. c. 1. & Jul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 9.

TUa nos duxit fraternitas conſulendos [i], ſi de Clericis publicè concubinas habentibus, qui quando à te conveniuntur, ſe eſſe concubinarios diffitentur, nec apparet contra eos legitimus accuſator, credendum ſit teſtimonio bonorum virorum, inter quos vivere dignoſcuntur. Nos igitur conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi crimen eorum ita publicum eſt, ut meritò debeat appellari notorium; in eo caſu nec teſtis, nec accuſator eſt neceſſarius, cùm hujuſmodi crimen nulla poſſit tergiverſatione celari. Si verò publicum eſt, non ex evidentia, ſed ex fama, in eo caſu ad condemnationem eorum ſola teſtimonia non ſufficiunt, cum non ſit teſtimoniis, ſed teſtibus judicandum. Sed ſi de Clericis ipſis talis habeatur ſuſpicio, ut ex ea ſcandalum generetur in populo [k], licèt contra ipſos non apparuerit accuſator, eis tamen eſt Canonica purgatio indicenda, quam ſi præſtare noluerint, vel [l] defecerint in præſtanda, eos Canonica debebis [m] animadverſione punire.

[k] Vide l. ſi oleum. ff. de dolo. & l. æquiſſimum. ff. de uſufr.
[l] In Cod. Barbat. vel ſi defecerint.
[m] debes.

¶ PITH. [13] *Exon. Epiſcopo.*] *Oxonienſi*, pag. 407. *Epiſt. Innoc.*

IX. IDEM Piſtorienſi Epiſcopo. [c. an. 1210. *Româ in Tuſciam.*]

Breve eſt; unde non ſummatur.

[n] Cap. 2. eod. tit. in III. Compil.

A Nobis tuæ [14] fraternitas: *Et infrà.* Cum Clericis [n] quoque non permittas mulierculas habitare, niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil permittat ſævi criminis ſuſpicari.

¶ PITH. [14] *Cum Clericis, &c.*] *L. cum qui, C. de Epiſc. & Cleric.* & *Can.* 10. *Concil. Agat.*

X. GREGORIUS IX. [c. an. 1235. *Romæ.*]

Clericus concubinarius in officiis vitandus non eſt, niſi ſit notorius.

QUæſitum eſt de Clericis in fornicationem prolapſis, ſi eorum ſit officium prius quam pœnituerint audiendum. Verùm, etſi quemlibet pro mortali peccato, quod ad ipſum conſtet eſſe ſuſpenſum, non debet tamen in officiis evitari; quia quantum ad alios etiam in caſu propoſito ſuſpenſus non eſt, niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeu confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poſſit.

DE CLERICIS CONJUGATIS.

TITULUS III.

I. ALEXANDER III. [1] [c. an. 1180. *Romæ.*]

Matrimonium contractum per Clericum exiſtentem in ſacris, non tenet: ſecus in minoribus, ſed tunc cogitur dimittere beneficium.

[n] Cap. 1. eod. tit. in 1. Compil. poſt Conc. Later ſub Alexand. III. c. 2.
[o] Tales ex hoc facto ſuſpecti fiunt de hæreſi. Bern. Dias in pract. crim. can. ca. 74.

SI qui [n] Clericorum infra Subdiaconatum acceperint uxores, ipſos ad relinquenda Beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas uxores diſtrictione Eccleſiaſt. compellatis. Sed ſi in Subdiaconatu [o] & aliis ſuperioribus Ordinibus uxores accepiſſe noſcuntur: eos uxores dimittere, & pœnitentiam agere de commiſſis, per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententiam compellere procuretis.

¶ PITH. [1] *Alexander III.*] Cantuarienſi Epiſcopo & ejus Suffraganeis. *Vide Synodum Londonenſem.*

II.

II. IDEM Herfor. Epiſcopo. [c. an. 1180. *Româ in Angliam.*]

Conjugatus ad adminiſtrationem, & ad ordinem Eccleſiaſticum, vel Beneficium non promovetur, niſi caſtitatem promittat, & non ſit digamus.

[p] Cap. 3. eod. tit. in 1. Compil. poſt Conc. Later. p. 18. can. 5.

SAnè: [*Et infrà α.*] Provideas [p] attentiùs, ne deinceps Clericus conjugatus ad Eccleſiaſtica beneficia, vel ſacros ordines, aut adminiſtrationes Eccleſiaſticas admittatur, niſi fortè caſtitatem voveret perpetuam, & qui unicam & virginem habuiſſet uxorem.

[*α De Clericis inferiorum ordinum qui in conjugio conſtituti diu Eccleſiaſtica beneficia ex conceſſione prædeceſſorum noſtrorum habuerunt, à quibus ſine magno diſcrimine ac effuſione ſanguinis non poſſunt privari: f. t. id duximus reſpondendum, ut.*]

[q] Veran. al. Verulen. al. Velinen. al. Jerulacen.

III. IDEM Verulan. [q] Epiſcopo. [c. an. 1180. *Româ in Campaniam.*]

Si Clericus in minoribus beneficiatus matrimonium contrahat, privatur beneficio: & quod dedit Eccleſiæ, ſibi reſtituitur. Hoc dicit. Et in hoc ultimo eſt caſus not. & multùm allegabilis.

[r] Cap. 5. eod. tit. in 1. Compil. & poſt Conc. Later. ſub Alex. III. p. 50. c. 7.
[ſ] attitulati.

QUod [r] à te: [*Et infrà α.*] Utrùm Clerici infra Subdiaconatûs ordinem conſtituti, qui continere carnis devicti vitio non valentes, uxores accipiant, Eccleſiaſtico beneficio Canonicè debeant ſpoliari. Id volumus te tenere, quòd cùm ſimul voluptatibus & carnalibus deſideriis, ac Divinis & Eccleſiaſticis obſequiis vacare non valeant, ob immunditiam [2] ſuam Eccleſiaſticis Sacramentis indigni tractandis, Eccleſiaſticis proculdubio beneficiis [3] ſunt privandi. Sanè ſi Eccleſiis, quibus [ſ] intitulati fuerant, de poſſeſſionibus aut aliis bonis aliqua contuliſſe noſcuntur: cùm ab earundem Eccleſiarum miniſterio fuerint & beneficio ſequeſtrati, ad ipſos rectâ viâ debent abſque contradictione redire.

[*α Quod fraternitatis tuæ quærit induſtria.*]

¶ PITH. [2] *Ob immunditiam.*] *Incontinentiam.*
[3] *Eccleſiaſticis proculdubio.*] V. C. addit cum cura. Vide *can. Sanctorum diſt.* 70.

IV. IDEM. [c. an. 1170. *Romæ.*]

Peractâ pœnitentiâ, diſpenſant Epiſcopi cum Sacerdotibus, qui matrimonium de facto contraxerunt.

[t] Cap. 1. eod. tit. in 11. Compil. Vide Felinum in ca. ita nos. de jurejur.
[u] dicenda.

SAnè [t] Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, ſed contubernia ſunt potiùs [u] nuncupanda: poſt longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio ſuo reſtitui poterunt, & ex indulgentia ſui Epiſcopi ejus executionem habere.

V. INNOCENTIUS III. Norvicen. Epiſcopo. [c. an. 1212. *Româ in Angliam.*]

Auferenda ſunt Clerico beneficia, quæ habebat tempore contractûs matrimonii: collata verò poſtmodum ſcienter per Epiſcopum, per eundem auferri non poſſunt, ſed per Superiorem. Hoc dicit.

[x] Cap. 1. eod. tit. in III. Compil. Ubi legitur Archiep. Norvvicenſi, malè.
[y] Vide leg. ſi plures. ff. de pact.
[z] In C. Bar. ſed per ſup. tuum.

DIverſis [x] fallaciis: [*Et infrà α.*] Accepimus autem, quòd quidam Clerici tuæ Diœceſis, qui matrimonium contraxerunt, Eccleſiaſtica beneficia detinere contendunt: in quorum converſatione cithara cum pſalterio malè concordat. Cùm ergo vir cogitet quomodo placere poſſit uxori, & ideò minùs, quæ Dei ſunt valeat cogitare, cùm quaſi diviſus in duo [y] plenam ſui non habeat poteſtatem: ut ei, à quo ſtipendium recipit, pleniùs famuletur: mandamus, quatenus hujuſmodi Clericos beneficiis Eccleſiaſticis, quæ in tua Diœceſi ſunt adepti, prives app. re. præſertim cùm rerum Eccleſiaſticarum ſubſtantia per tales ſoleat deperire. Niſi fortè tu talibus ſcienter contuleris Eccleſiaſtica beneficia: quibus eos non per te, ſed per [z] Superiorem decernimus ſpoliandos.

[*α Homines circumventi Deo & mammonæ famulari conantur. Cùm tamen ſecundùm Evangelicam veritatem nemo poſſit duobus Dominis ſervire, quoniam ſi unum dilexerit, alium habebit exoſum: aut uno contempto, alium ſuſtinebit.*]

[a] al. Archeronen.

VI. IDEM [a] Archerontino Archiepiſcopo. [c. an. 1212. *Româ in Apuliam.*]

Filius Sacerdotis Græci ex uxore genitus licitè inter Latinos promovetur, ſi ſcandalum non obſiſtat. Hoc dicit. Et eſt caſus notabilis.

[b] Cap. 2. eod. tit. in III. Compil.
[c] Aglon.
[d] Triacan.
[e] & in aliis.
[f] fuerat.
[g] duxerat.
[h] in min. ord. conſtituti contrahunt.

CUm olim [b] ad noſtram audientiam perveniſſet, quòd Canonici Anglorien. [c] [4]. Cantorem [d] Tricaric. [5] ſibi elegerant in Paſtorem: [*Et infrà α.*] Licèt tibi de forma electionis Canonicæ, ac idoneitate perſonæ, in aliis [e] conſtitiſſet: movit te tamen, quòd cùm pater ejus Græcus fuerit [f], & juxta ritum Græcorum uxorem duxerit [g] in minoribus Ordinibus conſtitutus, Cantorem ipſum ex uxore legitima in Sacerdotio ſuſcepiſſet. Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus [h] contrahunt, & in ſuperioribus utuntur matrimonio jam contracto: mandamus, quatenus niſi pro eo, quòd inter Latinos Græci

Pars II.

hujuſmodi converſantur, regionis conſuetudo repugnet: ſi aliud Canonicum [i] non obſiſtat, ad confirmationem & conſecrationem ejuſdem ſine dubitatione procedas.

[i] *Vox*, Canonicum, *deeſt in antiquiorib.*

[*α Tibi dedimus in mandatis ut examinatâ electione diligentiùs & perſonâ, ſi electionem Canonicam & perſonam idoneam invenires, electionem ipſam auct. ap. confirmares, ſicut Metropolitanus in ceteris proceſſurus.*]

¶ PITH. [4] *Anglorienſes.*] *Anglonenſes.*
[5] *Tricaricen.*] *Tricaricenſis* Suffraganeus Archiepiſcopi Acherontiæ.

VII. IDEM Epiſcopo Pictavienſ. [c. an. 1212. *Româ in Galliam.*]

Clericus conjugatus non beneficiatus, non cogitur deferre tonſuram.

[k] De materia hujus Decreti, vid. Geminia. in ca. 1. eod. tit. in 6. & Lapum alleg. 40.

JOannes [k] nobis conquerendo monſtravit, quòd tu eum quanquam jam dudum uxorem legitimam duxerit, pro eo, quòd priùs in Acolytum fuerat ordinatus, compellere niteris, ut tonſuram deferat clericalem, ex qua inter ipſum & uxorem ſuam poſſet ſcandalum generari, cùm de conſuetudine terræ tuæ Clerici uxorati non cogantur inviti portare tonſuram. Quoniam igitur idem etiam tonſuratus non poteſt privilegio Clericali gaudere: mandamus, quatenus ipſum ſuper tonſuratione hujuſmodi non moleſtes, dummodo nullum percipiat beneficium Eccleſiaſticum, cujus ratione teneatur Clericalem deferre tonſuram: quia cùm eum oporteat ſecularibus negotiis immiſceri, tonſura ipſius ſecularia exercentis videretur profectò in miniſterii noſtri vituperium redundare.

VIII. IDEM. [c. an. 1212. *Romæ.*]

Uxorati non admittuntur ad Eccleſiaſticas dignitates, & coguntur dimittere, quas habent.

[l] Cap. 4. de vit. & hon. Cler. in III. Compil.

CUm [l] decorem: *Et infrà.* Eos qui ſunt publicè uxorati, non admittatis de cetero ad Eccleſiaſticas dignitates, dimiſſis ab eis, quas non poſſunt ſine pravo exemplo & gravi ſcandalo retinere.

IX. HONORIUS III. H. quondam Reginæ Anglorum [6]. [c. an. 1220. *Româ in Angliam.*]

Clerici conjugati, in rebus ſuis non gaudent privilegio Clericali.

[m] dimiſſis.
[n] duxerunt.
[o] reaſſumunt.
[p] eo prætextu. *Matth.* 22. *Marc.* 12. *Lucæ* 23.
[q] *al.* ut à tal. *ſed in antiquis ita legitur ut eſt impreſſum.*

EX parte tua fuit propoſitum, quòd nonnulli literati terræ tuæ [7], habitu & tonſura Clericali [m] relictis, publicè ducunt [n] uxores: [*Et infrà α.*] Ut tamen conſuetis juſtitiis & debitis obſequiis te defraudent, tonſuram [o] reſumunt abjectam: [*Et infrà β.*] Quidam etiam acceptâ primâ tonſurâ ſimiliter contrahunt: & eandem tonſuram deferunt, ut eodem [p] prætextu excuſari valeant à prædictis: [*Et infrà γ.*] Cùm igitur reddenda ſint, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo: æquanimiter duximus tolerandum, ſi [q] à talibus juſtitias debitas velut ab aliis uxoratis exigas & ſervitia conſueta.

[*α De his quæ hujus mundi ſunt ſoliciti, & quomodo placeant uxoribus exiſtentes: qui licèt negotiationibus & aliis negotiis ſecularibus inſiſtant.*]

[*β Quatenus ipſius prætextu ab hujuſmodi ut Clerici excuſentur, quanquam non militant domino ſed potiùs mundo, ut ceteri uxorati.*]

[*γ Et ven. f. n. Epiſc. & di. fi. Decanus & Archid. & Capitulum Cenomanenſe ipſos tanquam Clericos in ſubtractione ſervitiorum tuorum fovere nituntur in tuum præjudicium & gravamen.*]

¶ PITH. [6] *Reginæ Anglorum.*] Berengariæ inf. *cap.* 27. *de privileg.*
[7] *Terræ tuæ.*] *Cenomanenſes.* Matth. Paris 443. 604.

[r] Ep. Lingonenſi.

X. IDEM [r] [8]. [c. an. 1222. *Romæ.*]

Si Clericus in minoribus militet, non eſt cogendus deferre tonſuram vel habitum Clericalem.

[ſ] Vide Notas noſtras in hanc Decret.

UT conſultationi [ſ] tuæ breviter ſatisfiat, reſpondemus, quòd R. miles tuæ Diœceſis, qui olim cùm in minori eſſet conſtitutus ætate, tonſuram tantùm & coronam Clericalem aſſumpſit, non eſt cogendus deferre habitum Clericalem.

¶ PITH. [8] *Idem.*] Epiſcopo Lingonenſi.

[t] Vide Conc. Trid. ſeſſ. 6. de reform. c. 1. & 2. & ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.
[u] Conc. Sardic. c. 3. Burc. lib. 1. Decr. c. 79. Ivo, p. 5. c. 184.

DE CLERICIS NON [t] RESIDENTIBUS IN ECCLESIA VEL PRÆBENDA.

TITULUS IV.

I. EX CONCILIO Sardicenſi [u] [1]. [c. an. 347. *in Dacia.*]

NON liceat Epiſcopo de civitate ſua tranſire ad aliam. Manifeſta eſt enim cauſa, pro quo facere hoc attentat. Cùm nullus ſit inventus Epiſcopus, qui ad minorem de majori civitate tranſiret.

S